



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 4. S. Gregorij Turonensis solatium breuitatis Deus author.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

Isa. 45. 9. modi fulmen intorquet: *Va qui contradicisti* fictori suo, *testa de Samiys terra: numquid dicit lutum figulo suo: Quid facis, & opus tuum absque manibus est? Va qui dicit patri: Quid generas? & mulieri: Quid parturis? Hæc dicit Dominus sanctus Israel, plastes eius: Ventura interrogate me, super filios meos, & super opus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram, & hominem super eam creavi ego: manus mee tetenderunt calos, & omni militia eorum mandavi. Qui ergo stellas in celo lucentes, qui cælum ipsum & terram condidit, pro suo arbitratu; & lutum potest fingere hominemque ad eum ipsum ad suam voluntatem. Sic optimè factus est, sicut eum Deus fecit.*

Non bene vasa suo faciunt conuicia fabro.

§. IV.

*S. Gregorij Turonensis solatium breuitatis,
Deus author.*

Hæc cogitatio S. Gregorium Episcopum Turonensem & placatum tenuit; & apud S. Gregorium Magnum, vtilissimo exemplo defendit. De quo in vita eius, hæc Surius. *Sexdecim annos hic in Episcopatu exegerat, cum equinocus eius ille Magnus Gregorius*

Sur. 17.
Nouem.
tom. 6.

gorius, in sede Apostolica subrogatur, siquidem opinata res est, quod dudum alter alteri peculiariter sit amicitia deninctus. Nec immerito tamen hunc Fortunatus Gregorio comparat Nazianzeno, tamquam ille datus sit Orienti, Romanensis Meridiei, ast hic noster occidenti. Cum igitur sacra Apostolorum limina expetisset, magna cum reuerentia sanctus eum Papa excepit. Quem ad B. Petri confessionem introducens à latere constituit, prestolans, quò assurgeret. Interim autem (ut erat ingenio profundissimus) secretam Dei dispensationem admirans, considerabat in huiusmodi hominem (erat enim statura breuis) tantam gratiam celitus profluxisse. Quod ille mox diuinitus persentiens, Et ab oratione surgens, placidoq; ut erat, vultu, ad Papam respiciens: DOMINVS, inquit, FECIT NOS, ET NON IPSI NOS; IDEM IN PARVIS, QVI ET IN MAGNIS. Cumq; id suae cogitationi S. Papa responderi cognosceret, ipsa sua deprehensione gavisus, gratiam, quam hactenus in Gregorio mirabatur, in magna veneratione deinceps habere coepit; Tyronicam ita nobilitavit, ut auream ei cathedram donaret, quae, apud praefatam urbem, in posterum seruaretur. Ali- ter saeculum iudicat. Nam, teste Plutarcho,

Plutarchi
De insti-

H 2

Ephori

euend. li-
beris &
in Agefi-
lalo.

Ephori regi Archidamo multam dixerunt, quòd pusillam statura vxorem ducere sustinisset, addito elogio, *Quòd non reges ipsis, sed regulos dare deliberasset: & βασικίας, ἀλλὰ βασιλίδια.* Et certè natus ex eo coniugio Agefilaus pusillus fuit, & specie Græcis aspernanda. Qua de causa moriens interdixit, ne quis effigiem suam fingeret pingeretue. Habet Mundus aliquam stature & maiestatis corporis rationem: sed qui Mundum contemnunt, & irrisores ridere didicerunt, etiam in corporis breuitate diuinum quoddam beneficium agnoscunt.

§. V.

*Roberti Bellarmini Cardinalis heroicum
responsum.*

Clypeus est hîc & gladius, quo & defendere nos possumus, & hostem offendere, nos ad impatientiam, ob eiusmodi corporum defectus, impellentem. Nam & qui credit, se esse opus Dei, sat magnam habet ab opifice nobilitatem, qualiscumq; ipse sit; neque Momus ille, tam hominem, quàm opificem hominis reprehendit, qui alterum, *Masculum*, aut *Musculum*, *formicans*, aut *Gryllum* appellat, Vsum hoc
clypeo